



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Titvlvs X. De supplenda negligentia Prælatorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

**Q**uid possit, qui sub juramento etiam renuntiavit suo beneficio, non obstante hac resignatione jurata, ad idem beneficium ex novo titulo redire, si iterum illi v. g. conferatur, sive ad illud iterum præsentetur &c. certum est ex *c. cum inter 2. b. t.* cum renuntiatio talis, & annexum juramentum strictæ sint interpretationis, & futura non præsumantur comprehendere, ac in omni juramento salvum debeat esse jus superioris, *c. venientes 19. de jure jur.* Nisi ob crimen renuntiaverit Episcopatus, & religiosus factus sit, penitentia agenda causa, hic enim, etsi de novo in Episcopum eligatur, ad eundem redire tamen non potest, uti habetur in *c. post translationem 11. b. t.* imò potest, si majori dignitati v. g. renuntiavit, minus dignum, & inferius beneficium admittere, *c. ad supplicationem 9. b. t.* cum melius illi sit, habere beneficium minus, ex quo sustentetur, quam carere majore dignitate cum defectu sustentationis.

## §. III.

*De effectu renuntiationis conditionalis, & resignatione beneficii in fraudem alterius facta.*

**A**d primum resp. conditionalis renuntiationis plenus effectus, ita ut vacet beneficium taliter resignatum, non haberi, antequam conditio, sub qua fit renuntiatio, purificata est, & adimpleta, prout actuum conditionatorum ratio requirit, & hinc nulla est renuntiatio in favorem alterius certæ personæ facta, & admissa, si postmodum non eidem, in cujus favorem resignatum est, sed alteri cuidam tertio conferatur beneficium.

Ad secundum resp. nullam esse resignationem beneficii, quæ fit in fraudem alterius, uti colligitur ex *c. si tu 2. b. t. in 6.* non enim debet quis alterius odio prægravari, regula 20. in 6. neque fraudatori sua malitia debet esse lucrosa *l. 1. ff. de dolo.*

## T I T V L V S X.

## DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM.

## §. I.

*Quomodo defectus seu negligentia Prælatorum inferiorum in conferendis beneficiis commissa, per devolutionem, potestatis ad superiores suppleatur.*

**S**i ordinarius collator, ad quem spectat beneficiorum provisio intra tempus à jure definitum beneficium vacans non contulerit, is jure conferendi pro

ea vice privatur, & regulariter illud ad immediatum superiorem devolvitur, & ab hoc negligente gradatim ad alium superiorem *c. 2. de concess. præbend. & c. licet 3. b. t.* ita statuente jure, ne beneficia diu vacent, & ne diu jura eorum sint in incerto, quod utrumque Ecclesiæ damnosum est; neque conceditur post elapsura tempus, quod ad eligendum, vel conferendum concessum est, purgandi

gandi moram licentia, uti tradit *Gloss. fin. in relat. capit. licet* (Canon enim latae sententiae, qualis est hic privationis, & devolutionis, habet in se executionem, ut omnia declarari debeant irrita, quae contra talem canonem acta fuerunt) quamvis per patientiam, vel ex misericordia tolerari possit, statuente Pontifice, si mox elapso tempore, electio vel collatio ab ordinariis facta fuerit *c. litteras 4. b. 1.* talis enim à Papa concessa expressa tolerantia, jus in beneficio tribuit, & vim novae provisionis habet. Dixi tamen regulariter hoc fieri, quod si enim ad Episcopum jure proprio collatio beneficii spectet, & in hoc conferendo ultra tempus à jure concessum ille sit negligens, devolvitur collatio hujus beneficii ad Capitulum Cathedrale, quamvis hoc inferius sit Episcopo, propter communicationem scilicet quae est inter Episcopum & Capitulum tanquam caput, & membra ejusdem corporis, ut merito unius defectus per alterum suppleatur juxta *relat. c. 2. de concess. prabend.* prout solum etiam Capitulum conferre potest, in casu, quo collatio beneficii alicujus conjunctim ad Episcopum, & Capitulum pertinet, si monitus Episcopus de tempore collationis faciendae moram inutilem trahat. Quod si tamen in tali casu, quo ad Episcopum scilicet & Capitulum collatio beneficii pertinet, utrumque negligens sit, ultra tempus à jure concessum ad collationem, devolutio fit ad horum immediatum superiorem, sicuti etiam in casu negligentis Episcopi circa beneficia jure devolutionis ad ejus collationem spectantia, prout desumitur ex *c. 2. de concess. prabend.*

## §. II.

*Per quem, & quomodo Pralatorum regularium negligentia in conferendis beneficiis vel presentando ad illa suppleatur?*

**C**asu quo Pralati regulares, ad quos beneficiorum collatio, aut praesentatio spectat, intra spatium à jure concessum, saecularia, vel regularia beneficia non conferant, aut ad ea non praesentent, tum si Episcopo subiecti sint, aut saltem, illis exemptis, beneficia, jus conferendi talia ad eum Episcopum devolvitur, in cujus diocesi beneficium vacans situm est: si vero exempti sint tam ipsi, quam beneficia, circa quae conferenda negligentiam admittunt, jus conferendi, immediate ad Pontificem devolvitur, prout statuitur in *Clement. un. b. 1. & cum singula 32. §. prohibemus de prabend. in 6.* ita tamen ut hic, ad quem devolutio facta est, eodem jure uti debeat, quo uti potuit ille, cui succedit, easdem observando qualitates, & conditiones.

## §. III.

*Quomodo, & per quos in aliis, praeter beneficiorum collationem, negligentia, aut defectus Pralatorum suppleatur, etiam Ecclesia vacante?*

**S**i Episcopus in administratione suae jurisdictionis negligens sit, moneri quidem, à suo Archiepiscopo, & compelli poterit sub interminatione poenae alicujus competentis, ad obligationi suae satisfaciendum, illius tamen jurisdictioni non devolvitur ad Archiepiscopum, praeterquam in casibus jure expressis, in materia enim prohibitoria (sicuti prohibi-

tum est Archiepiscopo in sui Suffraganei subditos exercere jurisdictionem) quod non est concessum, censetur esse prohibitum, atqui nullibi in jure concessum est Archiepiscopo, sui Suffragansi negligentiam, in jurisdictionis suae administratione supplere, ergo non potest: & ob hanc ipsam rationem neque ad Capitulum in tali casu jurisdictionis Episcopi devolvitur (quod enim de beneficiis concessum est Capitulo, non debet ad alia prohibita extendi) neque ad Archiepiscopum, si Episcopus sit excommunicatus v. g. prout sumitur ex *c. 1. h. t. in 6.* Quod si tamen Episcopus omnino, aut absolute impeditus sit,

ad suae jurisdictionis exercitium, vel ob amentiam, vel ob captivitatem apud hostes diuturnam &c. habeat interim Capitulum Ecclesiae Cathedralis jurisdictionem in Diocesis subditos, sicuti habet, vacante Sede, uti habetur in *c. si Episcopus 3. h. t. in 6.* quia enim perinde se habet in tali casu Ecclesia talis, ac si vacaret, consequenter etiam ad Capitulum, ad quod, Sede vacante, jurisdictionis Episcopi transit, devolvitur in tali casu jurisdictionis, donec Summus Pontifex aliter provideat, Coadjutorem deputando, vel Administratorem, aut Visitatorem, cum potestate etiam conferendi beneficia.

## T I T U L U S X I.

### DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, ET QUALITATE ORDINANDORUM.

#### S E C T I O I.

*De Ordinibus & Qualitate Ordinandorum, potestate ordinandi, & accidentibus Ordinationum.*

##### §. I.

*An prima tonsura, & Episcopatus sint Ordines, & quidem distincti à ceteris?*

**P**robabilius est, quod prima tonsura non sit Ordo Ecclesiasticus proprie dictus, sed mera dispositio ad Ordines, per quam fit tonsuratus capex Ordinum, jurisdictionis Ecclesiasticae, privilegio-

rum, ac beneficiorum Ecclesiasticorum, cum enim per Ordines proprie dictos certa quaedam potestas ad functionem aliquam Ecclesiasticam conferatur, ut ex *Trident.* habetur, per primam vero tonsuram nulla talis specialis potestas conferatur, sed tantum capax quis fiat ad Ordines licite accipiendos, consequenter Ordo proprie dictus non est: & hinc si in jure Canonico tonsura Clericalis Ordo v. g. dicatur, late sumi debet nomen Ordinis. Episcopatum vero proprie dictum Ordinem esse communis est Canonistarum, & probabilior sententia, qui proprium & distinctum Characterem imprimat, uti probatur, tum ex *Can. 1. distinct. 21. & c. 1. de Ordinationis*